Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 889
Quelle:
Copyright:

ens. Ord. Cist. ut jam *Vol.* I. P. 1. *col.* 931. et P. 2. *col.* 2084. retuli. Exhibentur a *Maurianis Opp. Bernhardi Paris.* 1690. T. V. *col.* 597.

IV. *fol.* 121. p. 2. *Sermones* bini *Bernhardo* inscripti, quorum prior init: *Verbum patris Vnigenitus dei sol iusticie* &c. et legitur inter Ejus *diversos n.* XLII. edit. mox *cit.* T. III. *col.* 1175. Textus nobis praefixus: *Negociamini dum venio*, ibi abest, et huc fortasse translatus est e *Sermone de S. Nicolao*, quem *Mauriani* T. V. *col.* 717. referunt et *Nicolao Claraevallensi* tribuunt, qui certe, quae de *quinque Regionibus* tradit, e genuino nostro *Bernardi* sublegit, et circa finem hortatur: *Negotiamini ergo, dum veniat* &c. Sermo alter: *Panem Angelorum manducauit homo. Os nostrum patet ad vos, sermo noster ad vos dilectissimi sacerdotes* &c. a *Maurianis* merito inter spurios T. V. *col.* 667. ablegatus et inscriptus est: *De excellentia sanctissimi Sacramenti et dignitate Sacerdotum.* Exemplum nostrum ab Edito multum variat.

V. *fol.* 130. *Incipit tractatus et oracio beati Anselmi de passione domini.* Initium: *Benedic anima mea domino* &c. Inter *Anselmi Meditationes* edit. *Paris.* 1721. f. numero IX. p. 217. inscripta *de Humanitate Christi*, alias *Stimulus Amoris*, vel *Speculum evangelici Sermonis.* Exemplum istud non parum abit ab Impresso.

VI. *fol.* 136. *Incipit omelia deuotissimi bernhardi super primo uerbo ut sequitur et scribitur Joh.* 19. Nempe: *Stabat juxta crucem ihesu mater ejus* &c. Initium: *Sicut christiane religionis defectus ex ariditate causatur cordis frigidi, sic nimirum ex inflammata affectione, quam deus et sancta parit in anima meditatio omnis fidelium profectus procedit.* &c. Non reperi in *Opp. Bernhardi*, nec esse illius varia suadent, v. g. citatus *beatus Anshelmus*, adsertum illud: *Et non incongrue ex quo a peccato originaliter contracto in utero sanctificata est, ab omni deinceps peccato immunis permansit*, item illud sub finem: *Lapidabit te filius Marie in die iudicij* &c.

VII. *fol.* 148. *Incipit formula nouiciorum.* Praeit Summarium *Capp.* XX. quorum I. *Quod nimis remissum regimen nutrit vicia in subditis et religionem confundit.* Ejus initium: *Si vis in spiritu proficere et hoc esse propter quod ut hoc fieres ad scolam uirtutum et ad religionem uenisti* &c. Brevia sunt Capita, vel potius Vitae asceticae Αφορισμοι, finiuntque: *nec ullam ei reuerenciam exhiberi.* De eorum Autore mox mentem aperiam.

VIII. *fol.* 153. a secunda manu: *Sequitur Hugo de disciplina nouiciorum.* Scripsit sane *Hugo Victorinus* de *Institutione Novitiorum* Capp. XXI. quae praesto sunt edit. *Opp. Rothomag.* 1648. T. II. p. 26. f. sed Titulus Codicis a prima manu alio nos jubet respicere. Est is: *Incipiunt collaciones profectuum Religiosorum.* Prooemium earum incipit: *Desiderasti a me karissime vt aliquid scriberem*